QVOD NIHIL EXTRA DEVM, ADEOQVE NON DEVM EXTRA SE LICEAT ADORARE,

Breviter & ſuccincte, quantum cauſæ patitur ubertas, probat *L. S. Cantabrigienſ.* & Coll. *Imman.* Socius.

JENKINSON COLLECTION CAMB. UNIV. LIB. 1923

1 Cor. c. 8. v. 4.

[illegible]dolum nihil eſſe in mundo, & nullum eſſe *Deum alium niſi unum.*

Revelat. Sancti Johan. c. 17. v. 16.

Et decem cornua quæ vidiſti in beſtiâ, hi odio proſequentur meretricem, & deſertam reddent illam & nudam, & carnes ejus edent, & ipſam igne exurent.

Jud. c. 5. v. 23.

Maledicite Meroz, *dixit Angelus Domini, maledicendo maledicite habitatoribus ejus: quià non venerunt in auxilium Domini, in adjutorium fortiſſimorum ejus.*

Et veni Domine Jeſu. Apocalyp. c. 22. v. 20.

Liber Guilielmi Watsoni ex dono Authoris. 1648.

LONDINI,
Ex Officina *Ricardi Cotes, Anno* cIↃIↃc XLIII.

Emendanda.

PAg. 8. lin. 22. lege *Francofordiensis.*
P. 11. l. 20. pro שדם repone שהם.
P. 12. l. penul. *lege* והנכון.
P. 16. l. 8. *lege* religionis.
P. 24. l. 29. pro admonet repone *admonet.*
P. 28. l. 4. lege βδελυσσόμενος.
P. 29. l. 12. & 13. parenthesin addendo, sic corrige, (ἐν ταπεινοφροσύνῃ.)

24-188

Nobiliſsimo, Excellentiſsimoq; Domino,

ROBERTO *Comiti Kingſtonienſi*,

Mecænati ſuo benigniſsimo,

Theſin Vere Catholicam ſtudiis ſuis illuſtratam inſcribit, Servus ejus humilimus.

Nobiliſſime, Clariſſime, Honoratiſſime Domine,

Antâ bonitatis affluentiâ me velut inundavit Honor tuus, ut nemo ſit miraturus officia mea in ſinum tuum refundi, niſi qui favoris erga me tui ſit neſcius, aut quod magè verendum, obſervantiam meam tanto Mecænate putet indignam. Inſignis illa, quâ diu me veſtra complexa eſt Celebritas, benevolentia, philautiam, ambitiones, & vota mea de memetipſo longè ſuperavit. Animi licet mei talis nativa ſit temperies, ut quando conceditur otium, literis indormiam; ſi non obſtarent affectus diviniores, neque profaniora negotia, (qualium pridem neceſsitatibus implicatus etiam fui,) me abſtraherent, Muſas non diligerem tantùm, ſed & deperirem; tamen ad ſatietatem uſque doctus evaſerim, modò, quæ tenuis eſt, noſtra per eruditionem bene merendi facultas, veſtræ benefaciendi copiæ par redderetur. At novum non eſt, nec inauditum anteà, quòd multos ita ſibi devinciat Honor tuus, ut vel ingrati cogantur eſſe, vel infra tua merita tibi famulari. Sin verò peccaſſe videar, ſub vere, qui perfici debuerunt autumno, fructus Honori tuo offerens; id criminis etiam facilè condonabitur, ut amoris obſequiique ardore præcoqui deprehendentur. Addo purgationis ulterioris ergô, conatus meos publicarum antiperiſtaſi calamitatum in ceſtaſin actos eſſe. Etenim ab omni devotionis erga te meæ ſignificatione nollem intercipi.

Hac uti apologiâ, non quòd de vestrâ officii mei acceptione dubitem, sed ne qui alii rigidi nimis essent censores, opus esse duxi. Liberi parentibus suis & nutriciis Linguæ primitias, loquelæ rudimenta, balbutiem suam non ingrati conferunt. At Honor tuus mihi fautor, adjutor, & tanquam pater extitit: multis nominibus te meum prehendo. Ne mihi Comici illud, Nonne oportuit præscisse me ante? Nonne prius communicatum oportuit? *Honor tuus objiciat, quòd in fidei dogmatîs te nihil non rectè, præclaréque sentire cognoscam, suspicari non possum. quinimò si vester non innotuerit animus, error iste tanquam stipula decidens in ardentem fornacem, communium perturbationum devoraretur incendio. Obsepiri vias, omnia misceri, susque deque ferri, non latet Honorem tuum. O si non hinc errata graviora prætexerentur! me rubore suffundi, quàm terram sanguine macerari mallem. Quanquam per aliorũ duntaxat latera passus sum hactenus, enecor tamen, ut subit insulam aquis invictam, cruoris occano mergi. Non adeò corneis sum fibris, ut non miserias alienas sentiam; rem denique meam quantulamcunque agi intelligo, quando malum in vicino est. Tempestate distractionum plenâ, quam præstiti nunc exercitationem Dominatui vestro, ne gradui in sacrâ theologiâ primo recipiendo deessem, suscepi. Neque nuperiùs eluxit tanta tranquillitas, ut quæ rudi manu primò descripsi, politiora, summam imponendo, facerem. Cum veniâ leges (Illustrißime Comes) quamvis solito minùs inclinata foret in me tua lenitas, hoc opusculum nostrum, modò perpendat Claritudo vestra mentes humanas externis angustiis distrahi, contrahique, penè in nihilum redigi, non apud se manere, non esse sui compotes. Quod si non candori tantum, lenitatique, sed & judicio tuo rectißimo satisfecerit, adversus omnem censuram murus erit aheneus.*

Honori tuo devinctissimus,
ac devotissimus,

LAURENTIUS SARSON.

QVÆRITVR AN IMAGINES SINT RELIGIOSE COLENDÆ?

Pars negativa defenditur; rejicitur altera.

HÆC ipsa thesis è decalogo depromitur;* edicto primo traditur, explicatur secundo. Religionis axiomata (proh dolet!) à Papicolis non tam vocantur in dubium, quàm apertè rejiciuntur. Viam dogmatîs suis stabiliendis non inveniunt, sed faciunt; quos nodos solvere non valent, *Petri* gladio decîdunt. Christi vincula dirumpunt, & à se projiciunt jugum ipsius. Apud hos audient hæretici Samaritani, quod *Mosis* scripta pro canonicis receperint. Enimverò qui tantoperè venditant antiquitatem, meminisse debent seniorem filium duntaxat verbo tenus obedientem Patri, Christo judice, morosum censeri atque immorigerum. In ipso nostræ orationis exordio annotare liceàt antagonistas nostros, licèt ubique perversos, divisionibus tamen importunis, utcunque jactant unitatis studia, non minimè nobis lites ingerere. Minatur his, bullâ papali, credo, non impotentior, numeri binarii, quòd ausus sit primus ab unitate discedere, solennis inter *Pythagoreos* execratio. Præter Scripturam normam aliam, doctrinâ moribúsque suis non indignam, traditiones effingunt. Cùm partes nostri expiandi sceleris dederit uni Christo *Jehovah*, ad sanctorum merita confugiunt. Intercedendi munus

* *Jeroboami duo vituli, Jehovæ imagines, nuncupantur* אלהים אחרים 1 *Reg.* 14 9. *quin imagines Dei veri qualescunque per Scripturas sacras juxta atque prophanas Dii nuncupentur, & Israelitarum Patriarchis Elohim acherim seu Zazim fuerint, dubitare non possumus. Scrupulum non iniiciet Arabs interpres, apud quem legimus* Exod. 20. *commate* 3.

لا يكون لك معبودون اخر خلافي non erit tibi, qui mei vice serviatur, alter; *duntaxat Psalmi* 106. v. 20. *& Epist. ad Roman c* 1. v. 23. *meminerimus.*

munus in Chriſtum, Angelos, & ſanctas animas corporibus exutas diſtrahunt. Citra Deum precibus ſuis apud Angelos atque Sanctos morantur. Reliquum cultum religioſum moris eſt inter Deum & creaturas partiri. Neque verò mirabimur has technas, ſi quod olim vidiſſe videtur *Tertullianus*, jam poſt impletionem apud nos fidem reperiat. *Babylon* (inquit Doctor ille Tractatu contra *Judæos*) *apud* Johannem *noſtrum Romanæ urbis figura eſt, proinde & magnæ, & regno ſuperbæ, & Sanctorum debellatricis.* Terminos ſimplices in quibus ſum verſaturus, ambiguitatibus extricabo primùm; deinde quid inter nos & papiſtas in quæſtione ventilandâ interſit, explicabo; poſtea ſententiam noſtram firmare aggrediar.

Cogitetis interim, vos oro, quotquot adeſtis, me non præfando victoriam mendicare in animum induxiſſe, ſed propoſitionem diſcutiendam extra diſputationis aleam profiteri, niſi quòd Pontificii, quibus audendi quidlibet poteſtas delegata eſt, pro ſolitâ pietate circo incluſerint. Puderet in hac conſpici provinciâ, niſi veritati per ſe clariſſimæ Romana meretrix offucias ſuas impuras imminxiſſet. Primò quid cultus ſit; ſecundò quid religio; deinde quid cultus religioſus; ultimò qualem Papiſtæ cultum decernant imaginibus, dilucidabo. *Cultus amor eſt erga potentiores cum officio*, (definiente *Scaligero*, exercitatione 317. ſectione tertiâ.) Religio (de quâ diſſeruere multi multa, ſed quam nemo, quantum mihi ſcire datur, rectè definivit) habitus eſt animi, quo inſtinctus (ſive homo, ſive Angelus,) quicquid eſt, poteſt, & poſſidet, alicui ſubjicit. Talis affectio, quoniam veluti Sacramentum firmiſſimum facultates omnes unius alteri devincit, nomen ſuum, (inquit alicubi *Lactantius*) à religando accepit. Itaque cultus religioſus, ſi *Scaligerum* ſtrictè ſequi liceret, deſcriberetur amor erga potentiorem quempiam officioſus à religione profectus. Sed cultus religioſus, de quo nunc agitur, ita fines ſuos dilatat, ut officia cuncta quæ præſtare tenemur ei, cui debetur religio noſtra, ambitu ſuo complectatur. Cultum religioſum non officiis quæ poſtulat religio, ſed quæ religionis deferuntur objecto, definivi. Viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum,

eorum, cultus est religiosus, & metonymicè religio; non tamen ut creaturis apportatur, sed quatenus offertur Deo. Disterminantur apprimè virtutes theologicæ à civilibus, quòd hæ commoditatibus humanis tantùm prospiciant, illæ procedentes ulteriùs, ut Deo morem gerant, benefaciunt hominibus. His à me dictis eruditissimus *Downamus*, Academiæ Cantabrigiensis insigne decus, patrocinatur. In suâ decalogi expositione, omnem nostram imperiorum divinorum obedientiam cultu Dei ait comprehendi. Astipulatur etiam mihi *Aben-ezra* in *Deuter. cap.* 4. *vers.* 3. apud quem ambulare post *Baal-Peor*, idem valet, quod (nghabhodh) servire *Paal-Peor*. Quin eandem phrasin interpretetur religiosè colere, nemo dubitat. Quæstionis nostræ terminis sic elucidatis, sententiam meam clarè exponam. Quæ Christus Ecclesiæ suæ commendavit gratiæ Symbola, nempè bina Sacramenta; relicta denique nobis sanctorum defunctorum corpora civiliter & honestè tractanda esse non inficias eo; quin addam, quasi mantissam, hæc incurvando nosmetipsos, aut procidendo, colere, quocunque procedunt ab affectu gesticulationes illæ, inane atq; ineptum esse, superstitioni denique viam sternere. Capitis denudationem, verticis aut pectoris inclinationem, genuflectionem, vel corporis totius prostrationem rebus inanimis terminare, (ne quid deterius dicam) solœcismus est in moribus. Imaginis artificiosæ cultum civilem ad Deum intendere, monstrum esset religionis. Quæ reverentia magistratibus exhibetur, Dei vices in terris agentibus, ut rectâ religione animata ad Deum pertingit, à Deo præcipitur. Quin porrò si quâ in gente corporis gestus aliquis tantum in re divinâ usurpetur, jam eum (quia Deus est fortis zelotes) coram rege usurpare licitum non erit. Ob id Græci quibus prosterni nisi in sacris mos non erat, eo more venerari Persarum regem noluere, ut passim ex historiis discimus. Et Christianus, apud Zosomenum, Persarum regem veneratus, destitit postea, ubi id aliovorsum interpretando trahi videt. Non puto linguæ subjectionis Deo peculiaris enarrandæ, collatum monopolium; sed corpus reliquum suas in illo munere partes, & emphasin habere: quòd autem

Jacobi 1. 17.

Grotius in explicatione primi præcepti.

tem oporteat Deo privilegia ſua, quæ, præter ſacrilegium nequiſſimum, prophanantur, ſi cõmunicentur alteri, illibata atque integra ſervare, tandem aliquando evincam. Quid Angelis, excellentiſſimis Deitatis imaginibus, à probatioribus olim tributum fuerit, optime prodit *Gerardus Johannes Voſſius* de origine & progreſſu idololatriæ libro primo, capite nono. *Nec propterea omnem Angelorum cultum damnarunt*, (de Patribus Eccleſiæ Chriſtianæ ſermo fit.) *Triplicem enim fatentur. Vnus eſt mentis, qua naturæ Angelicæ excellentiam agnoſcimus. Alter eſt voluntatis, quo officia tam excellenti naturæ convenientia præſtare parati ſumus. Tertius eſt corporis, quo, ſi ſic uſu veniat, demiſſionem extrinſecus teſtamur. Interim non eſt cultus ille religioſus; quia non agnoſcimus Angelos, ut principium aut originis aut ſalutis noſtræ. Quin neque eſt cultus ſubjectionis civilis; quomodo veneramur regem, ac magiſtratus; imo & parentes, ac præceptores. Sed eſt cultus reverentiæ moralis; quo qui nobis dignitate ac virtute præcellunt, etſi nullum in nos imperium habeant, ſedulo honoramus. Nempe ut viros ſanctos, imo & doctos, colimus, ſic item Angelos; ſed Angelos auguſtiùs. Interim eâdem cultus ſpecie, etſi gradu aliquantum diſpari. Religioſum vero cultum penitus neſciere antiqui, nec Angelorum, nec martyrum. Nominatos fuiſſe quidem martyres ſuo loco & ordine à Sacerdote Chriſtianum Deo ſacrificium offerente, non tamen invocatos*, à ſancto *Auguſtino* (de civitate Dei, *l.* 22. *c.* 10.) didici. *Colimus martyres* (uti Pater idem contra Fauſtum Manichæum, *libro* 20. *c.* 21.) *Eo cultu dilectionis, & ſocietatis, quo & in hac vitâ coluntur Sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro evangelicâ veritate paſſionem paratum eſſe ſentimus.* Cum Eccleſiâ *Smyrnenſi* apud *Euſebium*, martyres nominibus multis diligimus, ſed neminem niſi Deum religioſe adoramus & colimus. Quòd ſi ultra ſubjections civilis, & moralis reverentiæ columnas in cujuſlibet obſervantiâ creaturæ procedatur, in idololatriam protinus impingitur. Pſeudo-Catholici inter cultum religioſum & civilem non aſſignant medium; deinde creaturas apertè nimis in cultum Dei prærogativum ſubrogant. In has ſuæ fiduciæ vexillum erigunt; ſummum tanquam præſidium atque levamen in ma-

Hiſt. Eccleſ. l. 4. *c.* 15.

lis

lis expoſcunt; ſive malis exempti, ſive conſecuti bona, gratias his ſummas agunt; adorationem Dei propriam his proſtituunt; imaginibus tum naturalibus, tum fictitiis vires ſuas & vigorem, obſequiorum ſuorum florem dedicant. Sed huc uſque pii ſunt. Quæ Deus nobis remiſit officia, nemini licet unquam niſi Jehovæ ſoli debita, ſacrificia nempe, (quanquam *Bellarminus* in præfatione de gloriâ & cultu Sanctorum, paſſim *Babylonica* meretrix os ſuum abſtergat;) *thus*, hoc eſt, (uti ſacræ confirmant literæ) θυσίαν cruci primò, deinde reliquiis, imaginibuſque poſteà libant. Sed iſta ſolùm deliria, quæ pietatis ſaltem facie ſe tuentur, refutare dignabimur; hoc, de quo nuperrimè facta eſt mentio, Anticyram ablegabimus. Quæ Pontificiis impietatum capita objeci, quandoquidem fatentes habeo reos, ſi qui adſunt, omnes, quot & quantos in gurgites propagentur, ſatis haberent perſpectum; confutationem duntaxat requirerent. Non quòd Adverſarii noſtri facta ſua, quæ turpiſſima ſunt, inficiari poterunt, ſed ut idololatras hoſce pro meritis ſuis indignemur ſinguli, quàm præclarè ſacrilegi ſint, brevi referam. Ut in re ſalutis æternæ, pro beneficiis etiam temporalibus à Sanctis, Angelis, Imaginibuſque pendeant, in his acquieſcant, his preces & gratitudinem impertiant, exemplis aliquibus narrabo. ἐγὼ δ' ἐγώ ἐστι βέβηλοι. Beatiſſimam virginem, *Mariam*, in Canticis, *Salve regina*, &, *Regina cœli*, vitam, dulcedinem, ſpem ſuam, & reginam cœli ſalutant. Tanquam in fatis poſitum eſſet horum non celari pudendam idolomaniam, aut ſaltem philanthropia divina, quas rupes & ſyrtes evitare tutum eſt, indice velut anchorali prodere decreviſſet; ut manus, ita linguam diligunt Eſavi. Lunam Reginæ aſſimilabant *Ægyptii*, Phœnices (ut hiſtoriarum libro quinto teſtatur *Herodianus*) ἀστροάρχην appellabant, *Horatius* (Carm. ſæcular.) ſiderum vocabat reginam. Adhuc tamen ſplendidiùs nequam videntur, quòd ut Ethnici Lunam indigitari ſolitam Reginam cœli, Venerem quoque appellabant, marique præficiebant: ſic hi (quod agnovit *Eraſmus*) ac ſi provinciam ſuam neglexerit Venus, aut præ ſenectute diutiùs ſuſtinere non potuerit, ſuffecere matri non virgini

Gerardus Johannes Voſſius de idololatriæ origine & progreſſu, l. 2. c. 19, 24, 27, 31.

virginem matrem. Sententias evocabo, quæ ſponte ſuâ theſi noſtræ contradicunt; quæ, non frictæ, non calefactæ, non irritatæ idololatriam ſpirant, redoléntque. *Confugimus autem primo* (inquit *Gabriel Biel* in expoſitione Canonis miſſæ, lectione octogeſimâ) *ad beatiſſimam virginem, cælorum Reginam: Cui Rex Regum, Pater cæleſtis dimidium Regni ſui dedit. Pater cæleſtis, cum habeat juſtitiam & miſericordiam tanquam potiora regni ſui bona: juſtitiâ ſibi retentâ, miſericordiam matri virgini conceſſit.* Narrat *Antonius* hiſtoriæ parte 3. titulo 23. capitulo 3. Chriſtum ad Patris dextram ſedentem, iratum ſurrexiſſe, ut interficeret omnes peccatores terræ, & à matre ſuâ, ut parceret tantiſper quoad *Dominicus* & *Franciſcus* ad homines mitterentur, orante, placatum eſſe. A Papiſtis in naufragii diſcrimine verſantibus ſæpiùs cantari ſolebant, & φάρμακον ἀλεξίκακον habebantur hi verſus.

Salve Splendor firmamenti,
Tu Caliginoſæ menti
Deſuper irradia:
Placa mare, maris ſtella,
Ne involvat nos procella,
Et tempeſtas obvia.

Seſſ. 2. 7. 9. Seſſ. 10. Anno Dom. 1515.

In Synodo *Lateranenſi* ſub *Jul.* 2. & *Leon.* 10. qui conciones habuerunt, neglecto Deo, Angelicâ ſalutatione Beatæ virginis opem implorabant; & eorum unus Archiepiſcopus Patracenſis hanc adibat cantico, cujus pars ſunt hæc Carmina:

Sola tu virgo Dominaris aſtris,
Sola tu terræ, maris, atque cæli
Lumen, incæptis faveas, rogamus,
Inclyta noſtris.

Martyrolog. Rom. Oct. 7.

Quæ bona temporalia nanciſcuntur, eidem accepta referunt. Chriſtianis olim bello navali Turcas ſuperantibus, Pius Quintus annuam victoriæ commemorationem S. *Mariæ* dedicavit. Neque modeſta nimis eſt quotidiana ad Angelum cuſtodem oratio:

Angele, qui meus es cuſtos pietate ſuperna
Me tibi commiſſum, ſerva, defende, gubernâ.

Ut

Ut olim Judæorum ſummus Sacerdos cum Phariſæis & Scribis Deum crucifigebant, ſic Eccleſiæ Romanæ Pontifex maximus cum ſuis Commyſtis, Erebi nigrum ſatellitium, Dei attributa cruci affigunt; ſummum præfati honorem, rogant hanc, quibus nec homo recipere potiora, neque majora poterit conferre Deus. Teſtor illam, quâ utuntur, invocationem:

O Crux, ave ſpes unica,
Hoc paſſionis tempore,
Auge piis juſtitiam,
Reiſque dona veniam.

Breviar. Rom. Sabb. inf. a hebd. quartam quadrageſimæ.

Quid, quod cereas etiam pupas, quas agnos Dei vocant, ſanguini quo redempti ſumus, pares faciunt, quando de earum una quaque canunt, *Omne malignum peccatum frangit, ut Chriſti ſanguis & angit*? hem bullatas nugas! his non difficulter adjicerem plures ejuſdem farraginis, ſi ludicris ſeria poſthabuerim †. Quiſquiliis his, auctoritate, quam Eccleſia Romana accommodare valuit, firmiſſimâ ſanctis, concilii Tridentini decreta quædam, nec non quæ refert hac in cauſâ *Bellarminus*, annectam. Decernit omnipotens iſta Synodus adverſum voluntatem Divinam non ſolùm tabulis lapideis ſuper monte Sinai *Moſi* traditis, ſed etiam digito Dei mentibus noſtris inſulptam, *bonum atque utile eſſe ſupplici-ter Sanctos, unà cum Chriſto regnantes, invocare; & ob beneficia impetranda ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere. Sanctorum quoq; Martyrum, & aliorum cum Chriſto viventium Sancta corpora à fidelibus veneranda eſſe: per quæ multa beneficia à Deo hominibus præſtantur. Imagines porro Chriſti, Deiparæ virginis, & aliorum Sanctorum in templis præſertim habendas, & retinendas, eiſque debitum honorem, & venerationem impertiendam; quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad Prototypa, quæ illæ repræſentant: ita ut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur.* Deinceps in Eccleſiâ Romanâ divinitatem figurari confitetur. *Bellarminus* de cultu imaginum tres recitat ſententias. *Sentiunt aliqui quod imago non ſit ullo modo in ſe colenda,*

Ceremon. Rom. Eccleſ. l. 1. tit. 7. cap. de conſecratione agni Dei. Seſſ 25.

† *Precum manuale Anglicanum Antuerpiæ impreſſum, ære Chriſtianæ An. 1600. teſtimonia licet jam producta ſatis in honore divino creaturis attribuendo prodiga ſint, in angelorum, & Sanctorum laudibus inſolentius eſt, & ſic in beatæ virginis encomiis laſcivit, ut Diabolus ingenium videatur ſuggeſſiſſe.*

Libr. de imaginib. Sanctorum, cap. 20.

colenda, ſed ſolum coram Imagine colendum exemplar: alii, quod idem honor debeatur imagini, & exemplari, & proinde Chriſti imago ſit adoranda cultu latriæ, B. Mariæ cultu hyperduliæ, Sanctorum aliorum cultu duliæ. Tertia opinio verſatur in medio, eſtque eorum, qui dicunt, ipſas imagines in ſe, & propriè honorari debere, ſed honore minori, quàm ipſum exemplar, & proinde nullam imaginem honorandam eſſe cultu latriæ. Bellarminus in hac cõtroverſiâ modo ait, modo negat; conſentit recenſitis omnibus ſententiis, & à ſingulis diſſentit; nemini conſtat, ſed minimè ſibi. Non parum mihi profuiſſe cognoſco, ſi veriora ſcripſiſſet, aut ſaltem diſſimulaſſet tectiùs: adeo difficulter, & non ſine lucta me continere potui, quin poſthabitâ brevitatis omni ratione ingenium ejus plenè exponerem. Tandem patientiam veſtram hujus impudentiâ vapulare nefas duxi. Neque mihi vacat ſententias recenſitas, & quas horribiles ſophiſtæ, diſtinctionum figuli verſatiles, ſuperinduxerunt offucias, ſingulatim perſtringere. Quod *Bellarminus* diſcrimen inter idolum & imaginem fingit, ſcripturarum, ſeptuaginta interpretum, verſionis Latinæ vulgatæ, Synodi primæ *Nicenæ*, *Hegeſippi*, *Juſtini*, *Tertulliani*, *Cypriani*, *Athenagoræ*, *Theophili*, *Clementis Alexandrini*, *Euſebii*, *Athanaſii*, *Epiphanii*, *Philaſtrii*, Synodi *Franofordienſis*, & *Caroli* Magni ſuffragia, Scriptores item prophani, imò ipſius etiam *Bellarmini* confeſſiones refellunt. Cùm vix quiſquam veterum, præter *Origenem* ab ipſo *Bellarmino* hæreſeos ſtigmate inuſtum, & *Theodoretum*, aliter locutus eſt, tum etiam Patres iſti, unico ex loco apud Septuaginta malè intellecto, id diſcriminis inter idolum & imaginem animadvertiſſe videntur. Quid, quod Papiſtæ Deum Patrem in hominis, & Spiritum ſanctum in columbæ formâ pingentes, admiſſâ horum diſtinctione, ab idolorum veneratione excuſari non poſſunt. Quod rerum ſubſiſtentium imagines ſi colantur, idola ſint; Papiſtæ quinetiam falſas imagines colant, ſi vacaret modo, vel apud bardiſſimos extra dubium ponerem. Per hæc quæ jam dicta ſunt, apud vos, (*h. e.* naſutiſſimos auditores) ſubolet iſtam quam nunc tetigimus partis adverſæ defenſionem ad incitas eſſe redactam. Nec qui Cathedræ Romanæ devotiſſimi ſunt, importuni

portuni me otii incusabunt, perpendant modo, quàm sint inhumaniter irreligiosi, dum bliteis & væcordibus suis inaniis important rei subsistentis imaginem procul idololatriâ posse latriâ coli. Euge licitum sit Dei unius honorem alteri attribuere! quin congruenter & condignè in malam crucem abierint blasphema Pseudo-Catholicorum deliria, nemo, cui vel gutta suppetit religionis, non rebitur. Ast in mari Romano manet post naufragium tabula. Si convincantur Idolis servire, cultus ille non idololatria, sed idolodulia, superstitiosè nimis, appellatur. Hoc etiam hydræ Jesuiticæ caput, (ne memorem, ni cultu summo superior dari possit, me Pseudo-Catholicos, perinde atque Deum creaturas adorare, quod ipsum innuebat etiam * proverbium à *Calvino* citatum, *non cognoscitur Deus inter Sanctos*, demonstrasse;) † multoties rescinditur; apprimè gladio oris Dei, divinis oraculis: deinceps ab interpretibus septuaginta, apud quos λατρείας & δυλείας idem ingenium est, usus indifferens: ab *Hesichio*, *Suida*, nec non ab aliis, cùm humanis, tum Ecclesiasticis scriptoribus improbatur. Novi quas obganniant ultrà distinctiones, scilicet adorari posse imagines per se, vel per accidens; absolutè, vel respectivè; propter se, vel propter aliud; propriè, vel impropriè; intentione finali, vel instrumentali; nolo tamen his immorari. His omnibus extricabor impedimentis, si nihil præter Deum religiosè coli debere firmatum dedero.

Adeo sapuit *Mahumetus*, ut non diu manere potuisse quas effinxit, impostura, existimare videretur, si quid religionis imaginibus destinaverit. Quomodo Judæi sub pœnis edocti de religiosi cultus objecto sentiant, quemadmodum nostra causa requirit, sed breviter explicabo. Tannaim in Massecheth Sanhedrin, Perek 4. misnâ quinta, pontificiorum Divos & Divas thronis suis deturbant. Cautum est ibi, *ne quis se præstantiore patre genitum gloriaretur.* שלא יהו אפיקורוסים אומרים הרבה רשויות בשמים *quia sic Epicureis*, id est, hæreticis, *plurium potestatum in cælis asserendarum præcidetur ansa.* Connexionis vtut obscuræ talis est ratio, ne quis Deorum pluralitatem sinistrè inferat, quisque naturæ suæ bona Deo soli debet accepta referre.

* Calvin. *Antidot. adverſ. artic. facult. theolog. Sorbon. art. 15. idem obſerv. & monet* Ludovic. Vives *in* Aug. *de civit. Dei, l. 8 c. 27 Multi Chriani in re bona plerumq; peccant, quod divos divasq; non aliter verentur quam Deum. Nec video in multis quod ſit diſcrimen inter eorum opiniones de Sanctis, & id quod Gentiles putabant de ſuis Diis.*

† 1. *Vbi latria, & dulia ad eundem referuntur, ibi nulla eſt differentia vel ſpeciei vel graduum, in ſervitute ſignificata. 2. Latria aliquando refertur ad homines. Deut. 28. 48. Lev. 23. 7. & dulia ad Deum. Act. 20. 19. Rom. 12 11. 1 Theſ. 1. 9. 3 dulia ex vi vocis magis proprie atq; adeo majorem notat ſervitutem. Vt inverſiſſimus Ameſ. adverſ.* Bellarm. *Si cui hæc non ſatisfaciant, 1 Theſ. 1. 9. & Heb 9 14 conf.*

ferre. Hinc illud à Chriſto mandatum, *Matthæi* 23. *verſ.* 9. explicare mihi videor; καὶ πατέρα μὴ καλέσητε ὑμῶν ἐπὶ τῆς γῆς· Εἷς γάρ ἐστιν ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Quod haraſchuth interpretetur divina potentia, ſeu Deus, è R. *Salomone* in Exodi caput viceſimum, verſum ſecundum, eruo. אל תאמרון שתי רשויות הם אנכי אשר הוצאתיך ממצרים ועל הים וגו *ne dicatis, quod duæ potentiæ ſunt, ego ſum qui eduxi te ex Ægypto, & per mare rubrum.* Per hunc etiam authorem, qui mala temporalia ſuperantes, ſummam victoriæ creaturis attribuunt, Sanctis defunctis aut Angelis inſignia Dei propria, * *coronas civicas* imponunt, Deitatem lacerant, caput legis infringunt. *Maimonides*, unus inſtar omnium, & reliquis, (ni fallatur) ſtipatus, ad ſententiam noſtram ſemet expreſſe opponit imaginibus. More Nevochim parte primâ, capite 36. hoc modo ſcribit: *Idololatras quod attinet, noſti, neminem illorum hac opinione Idolum colere, quaſi nullum præter illud exiſtimaret eſſe Deum: nemo etiam hominum unquam extitit, vel exiſtet, qui ſibi imaginetur, figuram illam, quam ex metallis, lignis, vel lapidibus confecit, creâſſe cælum & terram, illaque gubernare.* אבל אמנם יעבדוה על צד שחשא דמיון לחבר שהוא אמצעי בינם ובין האלוה יתברך *Verum colunt illam, quatenus eam habent pro ſimilitudine rei intermediæ inter ipſos & Deum Opt. Max.* (Binos Scripturæ ſacræ textus, (*Jer.* 10. 7. *Mal.* 1. 11.) verbis ſequentibus hanc in mentem eleganter explicat) *Sicut hoc clarè nobis exponitur à* Jeremia, *cum ait; Quis non timebit te Rex gentium? &c. Item, & in omni loco incenſum offertur* לשמי h. e. *Nomini meo, vel propter me. Indicat enim* (vox ſc. לשמי *Nomini meo*) *cauſam primam* (*propter quam ſc. offeratur incenſum*) *ex opinione ipſorum* (*idololatrarum.*) *Neque his* (inquit) *ullus ſapientûm legis noſtræ contradicit. Addit iſtos negantes* הכופרים *creatoris unius exiſtentiam credere, impingere vero negationem in præceptum* שהוא לבורא יתעלה לבד *quod ipſe creator exaltabitur ſolus* (*cultu ſcilicet* (ut pergit) *& celebratione, ſicut dicitur, & coletis Dominum, &c. Calvinus* tanquàm fato quodam, (Inſtitut. lib. 2. c. 8. Sect. 16.) ipſiſſimum hunc ſenſum expreſſit. Finis (inquit) primi

* Plin. *natur. hiſt. lib.* 16. *cap.* 4.

primi præcepti eſt, quod Dominus in populo ſuo ſolus vult eminere, & jure ſuo potiri in ſolidum. *Maimonides* paulo poſt eodem capite clariùs aperit quos perſtrinxerit hæreticos: ſcilicet העובדים עבודה זרה על שחיה אמצעי אי מטיבה אי מריעה *qui idola colunt, quaſi mediatores (vel res intermedias) inter Deum & ipſos, benefaciendi vel malefaciendi virtutem habentes.* Non aliter ſenſiſſe ante Chriſtum natum Doctores Hebræos indicio eſt R. *Jonathan Ben Uziel* ad *Regum* 1. *cap.* 18. *verſ.* 21. paraphraſis ejus eo loci hæc eſt. וקריב אליה לות כל עמא ואמר עד אימתי אתון פליגין לתרתן פלגון הלא ויי אלהים פלחו קדמוהי בלחודוהי ולמה אתון טען בתר בעליא בלית ביה צרוך *Et acceſſit* Eliah *ad omnem populum, & dixit, Vſquequo diviſi eſtis in duas partes? nonne Dominus eſt Deus? ſervite igitur ei ſoli: & quare erratis poſt Baghalaia in quo non eſt utilitas?* *Aben Ezra* quinetiam *Maimonide* prior in antiquis idololatris cultum, qualis nunc obtinuit apud Papiſtas, alienum (*id eſt,*) idololatricum agnovit. יש רבים שהם מאמינים בשם והם מזבחים ומקטרים לעבודה זרה כמו המקטירים למלאכת חשמים שהם חושבין כי ויטיבו להם כאשר אמרו מאז חדלנו לקטר למלאכת חשמי חסרנו כל וכתוב את-יי היו יראים ואת-אלהיהם היו עובדים וככה נעמן בהשתחותי בית רימון והנה אלה מודים בשם רק משתפים עמו אחר *Multi ſunt qui exiſtentiam Dei veri credunt, ſimul tamen ſacrificant atque adolent idolis, quemadmodum ſuffientes Reginæ cæli, eo quod exiſtimarent id iis in bonum verti: quod innuebant dicentes, Ex quo ceſſavimus ſuffire reginæ cælorum, caruimus omnibus. Et ſcriptum eſt* (nempe Regum 2. capite. 17. verſu 33.) *& cum Dominum colerent, Diis quoque ſuis ſerviebant.* Eodem referendum eſt illud Naamanis, (Regum 1. 5. v. 18.) *in incurvatione meâ domo* Rimmon. *Confitebantur hi Jehovam; duntaxat cum illo idola exaltabant.* An *Maimonides* ad hos authores reſpexerit, non ſum divinando; ſed hos fidem ejus liberare, plures etiam ſententiam eandem inire ſcio, deinde neminem *Maimonide* vetuſtiorem Rabbinum novi contradicentem. Citra *Maimonidem Kimchius* ad *Jeremiæ* caput 10. comma. 7. ſic eloquitur: בכל חכמי הגוים

הגוים ובכל מלכותם אומרים מאין כמוך ואינם עובדים הכוכבים אלא להיותם אמצעיים בינך ובינם ואמר חכמי הגוים כי הם יודעים כי הפסל אינו כלום ואם יעבדו הכוכבים לא יעבדו אלא מפני שהם משדתיך להיותם אמצעים ההמון חושבים כי הפסילים מטיבים ומריעים מפני שהורגלו בעבודתם *Quotquot ſapiunt inter gentes, & ſingula regna conſitentur non eſſe parem Jehovæ; neque ſerviunt ſtellis, niſi prout ſunt mediatores inter Deum & ipſos. Meminit Sapientum inter gentes, quod hi ſcirent idolum eſſe nihil, & ſi quandoque colant ſtellas, non tamen colunt illas, niſi quatenus ut res intermediæ Jehovæ famulantur. At gentilium vulgus exiſtimat idola benefaciendi, malefaciendique vim habere, quod aſſuefacti ſint horum cultui.* Non abludunt à ſuffragio nunc citato quæ commentatur idem in *Malachiæ caput* I. *verſ.* 11. כי ממזרח שמש ועד מבואו כל הישוב הוא ממזרח למערב ואיננו כן מצפון לדרום כי איננו מיושב כולו: גדול שמי בגוים כי אף על פי שעובדים לצבא השמים מודים בי שאני הכבה וראשונה אלא שעובדים אותם לפי רעתם שיהיו אמצעיים ביני ובינם ואמרו רז"ל דקרו ליה אליהא דאלהין *Magnum prædicatur ab ortu ſolis ad occaſum uſque nomen Jehovæ,* non quaſi minùs agnoſceretur orbis univerſi creator inter ſeptentrionem & meridiem, ſed *quod totus habitaretur ille mundi tractus, hic non item. Magnum eſt nomen meum inter Gentes. Etenim licet Ethnici colant exercitum cælorum, tamen agnoſcunt illum cauſam primam, nec adorant cæleſtia corpora, niſi ut mediatores inter Deum & ipſos. Jehovam, ſicut teſtantur Rabbini noſtri beatæ memoriæ, nuncupant Deum Deorum.* Nec ſileri debent, quæ ſcripſit *Jarchius* in eundem locum: גדול שמי בגוים אמרו רבו' דקרו ליה אלהא דאלחיא אפי' מי שיש לו ע"ז יודע שהו' אלוה שהוא על כולם ובכל מקום מהנהגים לשמי אף האומות ורבותינו פי' אלו תלמידי חכמים העסוקים בהלכות עבוד' בכל מקום וכן כל תפלת ישראל שמתפללין בכל מקום הרי הן לי כמנחה טהורה *Moſes* bar Nachman Papiſtarum non latentior eſt hoſtis. In Paraſchâ cui titulus יתרו, inquit; והנכון גם לפי הפשט שהוא מלשון והיה ה' לי לאלהים להיות לכם

לכם לאלהים יאמר שלא יהיה לנו בלתי השם
אלהים מכל מלאכי מעלה ומכל צבא השמים
הנקראים אלהים כענין שנאמר זובח לאלהים
יחרם בלתי לה' לבדו והיא מניעה שלא יאמין באחד
מהם ולא יקבלהו עליו באלוד ולא יאמר לו אלי
אתה *Pro eo quod simpliciter dicendum esset, Jehovah vobis erit Deus, præcipitur non esse nobis Deos alios præter Jehovam, scilicet neque ex Angelis, aut exercitu cæli. Nemo cuiquam nisi Jehovæ soli sacrificabit; nullo alio confidet; nihil aliud pro Deo recipiet, neque dicet alicui alteri, Deus meus tu.* Paulo post addit והנה הזהיר בדבור השני תחלה שלא
נקבל לנו אדון מכל האלהים זולתי ה' ואחר
כך אמר שלא נעשה פסל וכל תמונה לחשתחות
להם ולא לעבד בשום עבודה בעולם *Et ecce monuit initio sermonis* (seu verbi) *secundi, ne ex omnibus qui Dii appellantur, Dominum acciperemus præter Jehovam; & postea mandavit ne faceremus nobis sculptile, vel ullam similitudinem ad incurvandum nos ei, aut colendum ullo cultu in mundo.* Quo simplicior est latina phrasis, eo syncerior est sensus originalis translatio. Nihil in sententiam novissime citatam commentari indigeo, nisi quod apud hunc authorem, qui vulgo censetur decalogi prologus sit in sermonum decade primus, & secundus præcepta bina complectatur. Sensa mentis suæ nuperrime laudata mox in breviorem gyrum compellit: והנה התורה אסרה בדבור הזה השני
כל עבודה בלתי לה' לבדו ולכך הזהיר בתחלה לא
יהיה לך אלהים אחרים R. *Bechai* per omnia cum hoc Doctore sentit. In illud præceptum, Non facies tibi sculptile, &c. sic commentatur: אחר שהזהיר לא יהיה
לך במחשבה הזהיר על המעשה postquam Deos alienos arcuit à cogitatione, præcipit de operatione. אסרה התורה לעשות שום פסל והמונח אפילו אמצעי
Cavit Lex ne faciamus sculptile, vel imaginem, ne quidem ut medium (scilicet quo Jehovah colatur.) Ut ex eadem fide-

liâ binos dealbem parietes, authoris hujus alteram periodum, quam è *Moſe Ben Nachman* depromi reperio, huic jam citatæ ſubnectam. לא תשתחוה להם ולא תעבדם בשום עבודה כלל ואפי' הוא דעתו שלא להוציא עצמו מרשותו של הקבה ותקן כל העבודות כלן לשם יתברך *Non adorabis ea: neque coles ullo cultu omnino. Includit etiam hoc præceptum nemini licitum eſſe Dei benedicti Domino cultum ſubducere; & cultum penes nos omnem* (religioſum putate) *huic ipſi dirigi oportere. Ralbag* in 1 Reg. 22. 44. ſacrificantes & ſuffientes in excelſis officia ſua in nomen Jehovæ intendiſſe ſcribit, deliquiſſe tamen quod morem ab eo præſcriptum non cuſtodiverint. *Abarbinel*, poſtquam creaturas omnes tribus generibus diſtribuiſſet, de cunctis, ſcilicet ſpiritualibus, cœleſtibus & ſublunaribus dictum intelligit, *Non adorabis ea: neque coles.* על הרוחניים ועל השמיים ועל השפלים אמר בכלל לא תשתחוה להם ולא תעבדם Ut nullis, (niſi ſervitutem peſſimam ſervire nobis libeat, cultus extranei neceſſitudinibus circumveniamur, idem oſtendit. Quemadmodum de ſpiritibus ſeparatis, (*h. e.* Angelis) qui, ſi quæ aliæ creaturæ, religione ſunt adeundi, ſententiam ſuam tradat, referam tantum. ואפשר לפרש עוד ברבור הוה שאחרי שהקדים אנוכי יי אלריך אמר לא יהיה לך כאומר אם אני סבת הסבות ועילה ראשונה לשכלים הנבדלים כלם מה לך עוד עם תאר השכלים כי אינך צריך אליהם *Et emerget ſecundo ſermoni congruens interpretatio, ſi conſideremus quod poſtquam proclamaſſet ſe Dominum Deum noſtrum, interdixit nobis Deos alios, tanquam dixerit, Ego ſum cauſa cauſarum, cauſa prima intelligentiis ſeparatis omnibus,* (ſubintelligit creatis) *nihil vobis reliquum eſt cum aliis à me intelligentiis; non poteſt ad illas impellere neceſſitas. Alſchech* in commentario ſuo in Pſalmos, (quem titulo ſatis auguſto vocavit רוממות אל Exaltationes Dei) in Pſalmum 106. comma. 19. *Iſraelitas* ait *in Horeb vitulum feciſſe, quod ibi Schechinam vidiſſent, & ibi Deus Moſem collocutus eſſet facie ad faciem.*

Et

Et in comma ſequens aperte ſcribit quod hic innuebat ſubobſcurè, ואם תאמר נא שלא כיוונו על עצמו רק מול שור או פני שור אשר ראו במרכבה כמ"ש ז"ל ולא ישתחוו לזה רק להיות תבנית המזל או המלאך למען יהיו אמצעי וסרסור בינו ויתבר' וביניהם &c. *Quod ſi dixeris (vitulum Aaronicum) non ipſiſſimum vituli ſimulachrum fuiſſe, ſed planetæ bovis, aut faciei bovis quam viderunt in mercavâ, ſicut inquiunt Rabbini noſtri beatæ memoriæ; Neque ſemet huic incurvaverunt, niſi quod eſſet ſimilitudo planetæ, vel angeli, ut mediator & proxeneta exiſteret inter Deum benedictum & ipſos &c.* In his Rabbinorum teſtimoniis, apertam noſtræ ſententiæ profeſſionem & quantum mihi ſcire datur, in ſingulis (uno excepto) virginitatis ſpolium prehendo. Deum in nullam omnino imaginem formari debere, probat *Maimonides* in more Nevochim, parte primâ, capitibus 55. & 56. Qui doctores Hebræi Exodi capite 20. verſu 22. pro אתי legunt אתו (unde ſenſus hic emergit, Non facietis me: Deos argenti, & Deos auri non facietis vobis.) Eandem nobis annuunt ſententiam. Qui modo laudatus eſt חכמים הנשר הגדול (ſicut audire ſolet) *Moſes Ben Maimon*, in Auodath cocabbim umzalloth, capite tertio, neminem permittit alicujus ſtellæ vel angeli imaginem formare ad cultum; hominis ſimilitudinem protuberantem ne quidem ſolius ornatus ergò facere. Sic enim explicat ibi, ſeu potius contrahit quam adverſus imaginum fabros ſententiam generalem præmiſerat eodem capite, ſectionis duodecimæ initio; אסור לעשות צורות לנוי ואפילו שאינם עכו"ם *Vetitum eſt facere imagines ornatus gratiâ; tametſi non fiant ad cultum.* Qui plura videre cupit meretrici Babylonicæ à Judæis inſcripta ſtigmata, adeat Gemaræ Babylonicæ ad titulum Sanhedrin caput 7. ſectiones 4. & 5. * *Philonem* Judæum de legatione ad Cajum; Joſephum Haloſeos libro 2. capitibus 8. & 9. Quæ ab authoribus Hebræis teſtimonia deprompſi, modò comprobetur aliunde cauſa noſtra, ſaltem demonſtrabunt, Judæos nondum eò perveniſſe dementiæ,

* Τὸν δὲ ἀόρατον εἰκονογραφεῖν ἢ διαπλάττειν οὐχ ὅσιον ἐνόμιζον τοῖς ἡμετέροις νόμοις.

tiæ, ut à pontificiis non ſuperentur. Cum in multis Hebræi, plerique omnes rectè ſentiant, ac ſapientiores linguæ ſuæ peritiâ Chriſtianos inſtruxerint, ſenſibus quarundam ſcripturarum abſconditis, quos alioquin abſque revelatione divinâ non intellexerimus, lumen ſuggeſſerint; Non pauci denique vix extra articulos de Deo, noſtrâ carne induto, pro delictis noſtris mortem paſſo, & à mortuis reverſo, Chriſtianæ religionis fundamento excidant, tum etiam in hoc de cultu religioſo dogmate minimè errare cenſendi ſunt, quod in Teſtamento ipſis Orthodoxo, tam planè tradatur, ut Deo Optimo Maximo Deuteroſin ferè nullam deſiderare videretur, pro naſcentibus inſuper neceſſitatibus explicatum fuerit à prophetis, quorum dictata peſte, fame, captivitate, gladio, certe ſtylo ferreo, ſic illorum mentibus & medullis intimis inciſa & inſculpta ſunt, ut ſi quid ad animi ſenſa poſteritati communicanda phantaſia valeat, eorum liberis, quanquam lingua munus ſuum neglexerit, (quod reri nequimus) non poſſent non propagari. Sin hallucinati fuerint authores hi, Eccleſia Chriſtiana per ætates aliquot eodem fuit errore implicata. Ordiar ab Eccleſia Smyrnenſi, quæ ſe, tanquam Martyres adoraret, à Judæis & Gentilibus falſo inſimulatam declarat in Epiſtolâ quâdam apud Euſebium, hiſtoriarum lib. 4. c. 15. his verbis: οὔτε τὸν χριστὸν ποτε καταλιπεῖν δυνησόμεθα, τὸν ὑπὲρ τῆς παντὸς κόσμου τοῦ σωζομένων σωτηρίας παθόντα, οὔτε ἕτερόν τινα σέβειν. Τοῦτον μὲν γὰρ υἱὸν ὄντα τοῦ θεοῦ, προσκυνοῦμεν· τοὺς δὲ μάρτυρας, ὡς μαθητὰς τοῦ κυρίου καὶ μιμητὰς, ἀγαπῶμεν ἀξίως, ἕνεκα εὐνοίας ἀνυπερβλήτου τὴν εἰς τὸν βασιλέα καὶ διδάσκαλον, ὧν γένοιτο καὶ ἡμᾶς συγκοινωνούς τε καὶ μαθητὰς γενέσθαι. *Juſtinus* Martyr ordinem ducet in Patrum ſerie, cujus hæc eſt in Apologiâ ſecundâ de Chriſtianis confeſſio, θεὸν μὲν μόνον προσκυνοῦμεν. Huic accinit illud *Athenagoræ* in legatione pro Chriſtianis, ἐπὶ δὲ ὁ λόγος ἡμῶν ἕνα θεὸν ἄγει, τὸν τοῦδε τοῦ πάντος ποιητὴν, &c. *Theophilus* ad *Autolycum* libro primo, quæ cultui deſtinantur imagines omnigenas thronis ſuis dejicit; Deum σαρκίνοις ὀφθαλμοῖς exhiberi poſſe negat; regibus honorem, duntaxat

ἄνθρωπος

ὄντως θεῶ καὶ ἀληθῶ adorationem concedit. Nullam cultus religiosi cuiquam objecto impendendi rationem supereſſe judicat, ubi conſtiterit ſemel non eſſe Deum mundi conditorem. Secundæ quinetiam, prout hi jam recenſiti, centuriæ, vir divus *Irenæus* non aliter ſentiebat. Gnoſticos, eò quod imagines Chriſti depictas adoraverint, hæreſeos inſimulat. Poſt hos tertiæ Centuriæ *Tertullianus* multiplex noſtræ partis aſſertor eſt. In Apologetico, Chriſtianos Deum ſolum coluiſſe locuples eſt teſtis. *Quod colimus Deus unus eſt, qui totam molem iſtam cum omni inſtrumento elementorum, corporum, ſpirituum, verbo quo juſſit, ratione quâ diſpoſuit, virtute quâ potuit, de nihilo expreſſit in ornamentum majeſtatis ſuæ, unde & Græci nomen mundo κόσμον accomodaverunt.* Mox in eodem tractatu ſuperſtitionem Ethnicam, eandem cui theſin noſtram oppoſuimus, uberrimè damnat. *Quærite ergo, ſi vera eſt iſta divinitas Chriſti. Si ea eſt quâ cognitâ ad bonum quis reformatur, ſequitur ut falſa renuncietur quævis alia contraria comperta : in primis illa quæ deliteſcens ſub nominibus & imaginibus mortuorum quibuſdam ſignis & miraculis, & oraculis fidem divinitatis operatur.* Ratiocinium hoc Divi *Pauli* effatum illud, quod primæ ad Corinthios capite 8. verſibus 5. & 6. continetur, in Papiſtas dirigit: *Nam etſi ſunt qui dicantur Dii, ſive in cælo, ſive in terrâ, ſiquidem ſunt Dii multi, & Domini multi : nobis tamen unus eſt Deus pater, ex quo omnia, & nos in illo : & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* Author idem ille paulo poſt ſic gentium deſcribit ſuperſtitiones, ut Pontificii non potuerint non pro ſuis agnoſcere. *Nam ut conſtaret illos Deos eſſe* (De nationum Diis loquitur) *nonne conceditis de æſtimatione communi aliquem eſſe ſublimiorem & potentiorem velut principem mundi, perfectæ potentiæ & majeſtatis? nam & ſic plerique diſponunt divinitatem, ut imperium ſummæ dominationis eſſe penes unum, officia ejus penes multos velint, ut* Plato *Jovem magnum in cælo comitatum exercitu deſcribit deorum pariter ac Dæmonum.* Hem vobis pontificii, cui non invidemus religionis veſtræ antiquitatem! Locum adhuc unum ex eodem

tractatu adjiciam, qui sic se habet, *Denique cum ab imbribus æstiva hyberna suspendunt, & annus in curâ est, vos quidem balneis, & cauponis, & lupanaribus operantibus aquilicia Jovi immolatis, nudipedalia populo denuntiatis, cælum apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus expectatis, aversi ab ipso & Deo, & cælo: Nos vero jejuniis aridi, & omni continentiâ expressi, ab omni vitæ fruge dilati, in sacco & cinere volutantes, invidiâ cælum tundimus, & cum misericordiam extorserimus Jupiter honoratur. Vos igitur importuni rebus humanis, vos rei publicorum incommodorum illices semper, apud quos Deus spernitur, statuæ adorantur.* Dicite mihi, si Ecclesiæ pseudo-Catholicæ vanitas expressius describi queat, & nobis apertiùs ante oculos poni. Apud divorum monumenta cœlum quærunt; cadaverosæ illorum preces, quod narratur de spiritu illo immundo, qui Christo occurrit in regione Gerasenorum, in sepulchris errant; & si devotio rectior influxus dei benignos in orbem sublunarem derivaverit, è divis aliqua vel aliquis, aut plures simul honorantur. Discant hi tandem aliquando sperni Deum, quoties honor ejus apud imagines remoratur. Idem in libro suo de Idololatriâ nostræ non minus arridet sententiæ. *Deos* (inquit) *Nationum nominari lex prohibet, non utique ne nomina eorum prænunciemus, quæ nobis ut dicamus conversatio extorquet.* Et paulò post, *Hoc præcepit ne Deos vocemus illos. Nam & in prima parte legis, non sumes, inquit, nomen Domini Dei tui in vano, id est, idolo. Cecidit igitur in idololatriam, qui idolum nomine Dei honoraverit.* In præscriptione hæreticorum sibi conformis est. *Simonianæ* (ait) *magiæ disciplina angelis serviens, utique & ipsa inter idololatrias deputabatur, &* à Petro *Apostolo in ipso* Simone *damnabatur. Clemens Alexandrinus* etiam Papistas ante papismum in progenitoribus suis, idololatris Ethnicis redarguit. Stromate 6. Græcos & Christianos Deum communem adorasse scribit, illos tamen non acceptos Deo fuisse, quod ὁ κατ' ἐπίγνωσιν παντελῆ à filio datam traditionem didicerint. Quâ in parte infra divina præscripta subsiderent, idem paulò post ostendit. Οτι ἀγνοίᾳ θεοῦ-

μενοι.

μένοι, καὶ μὴ ἐπιστάμενοι τὸν θεὸν ὡς ἡμεῖς κατὰ τὴν γνῶσιν τὴν τελείαν, ἣν ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίας εἰς χρῆσιν, μορφώσαντες ξύλα καὶ λίθους, χαλκὸν καὶ σίδηρον, χρυσὸν καὶ ἄργυρον, τῆς ὅλης αὐτῶν καὶ χρήσεως, τὰ δοῦλα τῆς ὑπάρξεως ἀναστήσαντες, σέβονται. Quin & paulò ante noster uberius est: κατὰ τὰς ἱδρύσεις ἐν πολλοῖς τῶν ἱερῶν καὶ σχεδὸν πάσας τὰς θήκας τῶν κατοιχομένων ἐνιδρύσαντο, &c. "In multis templis tanquam Deorum statuas omnes fere "mortuorum loculos posuere, dæmones quidem vocantes "eorum animas, eas autem coli ab hominibus docentes, "ut quæ divinâ providentiâ propter vitæ puritatem po-"testatem acceperint, ut ad hominum ministerium locum "qui est circa terram obirent. Angelos & Archangelos, in eodem libro, cultu omni religioso expressissimè arcet. In *Minutii Fælicis Octavio*, *Cæcilius* objicit Christianos nulla nota simulachra habere: Octavius, quod tanquam crimen intentabatur, ut rectæ rationi, veræque religioni consonum defendit. Ut inter Christianos istius sæculi nullus crucis adorationi locus esset, una authoris ejusdem sententia declarabit. "Cruces (*inquit*) nec colimus, "nec optamus: vos plane qui ligneos deos consecratis, "cruces ligneas, ut deorum vestrorum partes forsitan a-"doratis: nam & signa ipsa, & cantabra, & vexilla ca-"strorum, quid aliud quam inauratæ cruces sunt, & or-"natæ? trophæa vestra victricia non tantum simplicis "crucis faciem, verum & affixi hominis imitantur. Sig-"num sanè crucis naturaliter visimus in navi, cum velis "tumentibus vehitur, cum expansis palmulis labitur: "& cum erigitur jugum, crucis signum est: & cum homo "porrectis manibus Deum pura mente veneratur: ita "signo crucis aut ratio naturalis innititur, aut vestra re-"ligio formatur. *Origenes* octavo libro contra *Celsum* non obscurè significat, quæ præstamus officia religionis, ad Deum summum non ascendere, nisi per Christum solum ἀσχίστως καὶ ἀδιαιρέτως καὶ ἀμερίστως colatur. * "Simu-"lachra autem (*prout idem ibidem*) Deo dicanda sunt "non fabrorum operâ, sed à verbo Dei dedolata for-"mataque in nobis, videlicet virtutes ad imitationem

* Ἀγάλματα δὲ καὶ πρέποντα θεῷ ἀναθήματα, οὐχ ὑπὸ βαναύσων τεχνιτῶν, κατεσκευασμένα· ἀλλ' ὑπὸ λόγου θεοῦ τρανούμενα ἐν ἡμῖν, αἱ ἀρεταὶ μιμήματα τυγχάνουσαι τοῦ προτοτόκου πάσης κτίσεως, ἐν ᾧ ἐστὶ δικαιοσύνης καὶ σωφροσύνης καὶ ἀνδρείας καὶ σοφίας καὶ εὐσεβείας, καὶ τῶν λοιπῶν ἀρετῶν παραδείγματα

" primogeniti totius creaturæ, in quo ſunt juſtitiæ, tem-
" perantiæ, fortitudinis, ſapientiæ, pietatis, cæterarum vir-
" tutum exempla. Quid conceperit hâc in cauſâ Sanctus *Cyprianus*, ex unâ periodo capitis decimi de exhortatione Martyrii prehendimus. Sic ibi commentatur in quoddam prophetæ *Danielis* reſponſum: *Et* Daniel *Deo devotus, & Spiritu ſancto plenus exclamat, & dicit: Nihil colo ego niſi Dominum Deum meum, qui condidit cælum & terram.* Sed & qui Patris, Filii, & Spiritus Sancti cudunt imagines, audiant *Arnobium* libro tertio contra Gentes. " Nunc
" verò, cum aliud creditis, & aliud fingitis, & in eos
" eſtis contumelioſi, quibus id attribuitis quod eos con-
" fitemini non eſſe: & irreligioſi eſſe monſtramini, cum
" id adoratis quod fingitis, non quod in re eſſe ipſaque
" in veritate eſſe cenſetis. Si aſelluli, canes, porci, hu-
" manum aliquid ſaperent, fingendique haberent artes:
" iidemque nos vellent cultu aliquo proſequi, & ſtatu-
" arum conſecrationibus honorare, quantas nobis ira-
" rum flammas, indignationum quos turbines concita-
" rent, ſi ſuorum corporum formas noſtra vellent por-
" tare atque obtinere ſimulachra? Quantas inquam ira-
" rum flammas ſuffunderent, excitarent, ſi urbis con-
" ditor *Romulus* aſinina ſtaret in facie, ſi ſanctus *Pom-*
" *pilius* in canina, ſi porcina ſub ſpecie nomen eſſet *Ca-*
" *tonis*, aut *Marci Ciceronis* inſcriptum? Ita ergo ſtoli-
" ditatem veſtram non rideri (ſi rident) veſtris ab nu-
" minibus remini? *Lactantius* etiam (libro de Origine erroris, capite 17.) nos docet ſic à Deo regi mundum,
" ut à rectore provinciam, cujus apparitores nemo ſocios
" eſſe in regendâ provinciâ dixerit, quamvis illorum mi-
" niſterio res geratur. Et hi tamen poſſunt aliquid præ-
" ter juſſa rectoris, per ipſius ignorantiam quæ eſt con-
" ditionis humanæ: ille autem præſes mundi, & rector
" univerſi, qui ſcit omnia, cujus divinis oculis nihil ſep-
" tum eſt, ſolus habet rerum omnium cum filio ſuo po-
" teſtatem: nec eſt in angelis quicquam niſi parendi ne-
" ceſſitas. Itaque nullum ſibi honorem tribui volunt,
" quorum honor in Deo eſt. Noſtris etiam partibus ac-

cedit

cedit Sanctus *Athanasius*, ingens, & invictum olim Ecclesiæ veræ propugnaculum. Apud hunc (in Epistolâ ad Solitariam vitam agentes) imagines ab *Arianis* in Ecclesias illatæ censentur προοίμιον καὶ παρασκευὴ τοῦ Αντιχρίστου. Idem nostræ sententiæ non minus illustre testimonium præstat in oratione primâ contra *Arianos*, ubi condemnat illos Idololatriæ, quòd cùm Dei verbum creaturam asseverarent, Divino tamen cultu venerarentur. Verba ejus hæc sunt: Τί δὲ καὶ τοῖς Αρειανοῖς αἱ γραφαὶ, καὶ τί ταύτας οὗτοι προφέρουσιν, ἄνθρωποι κτίσμα λέγοντες εἶναι τὸν θεοῦ λόγον, καὶ ὡς ἂν Ελληνες, λατρεύοντες τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα θεόν; Sed & insuper in Epistolâ nuper laudatâ *Constantium* prælusisse censet Antichristo, quod ex hæreseos *Arianæ* ingenio cultum Dei proprium creaturæ detulerit. In oratione suâ quartâ adversus *Arium*, *Jacobum*, de precatione quam adhibuit in benedicendis nepotibus suis *Ephraim* & *Manasse*, Geneseos 48. (*Angelus, qui liberavit me ex omnibus malis, benedicat pueros istos*) nescit purgare, nisi increatum indigitari angelum, verbum Dei, interpretetur. Paulo antè filium æternum, unicam, in quâ Deum patrem absque scelere adorare est, profitetur imaginem. Explicatiùs & uberiùs adhuc *Gregorius Nissenus* adversus *Arianos* (in oratione fratris sui *Basilii* laudibus dicatâ) hac ipsâ de causâ jam dicta invehitur. Huc accedit & *Dionysius* Episcopus *Alexandrinus*, apud quem in Epistolâ quadam ad *Dionysium* Pontificem Romanum; Nefas est τὰ τοῦ πατρὸς ἴδια μεταφέρειν ἐπὶ τὸ ἀνομοιούσιον αὐτῷ, καὶ ἐν ἀνομοιογενεῖ καὶ ἀλλοτριουσίῳ χαρακτηρίζειν τὴν τοῦ πατρὸς θεότητα. "Cavendum (*inquit*) ne quæ patris propria sunt "transferentes ad illud, quod ei substantiâ dissimile est, "in dissimili genere, & alterius substantiæ delineantes "effigiantesque patris deitatem, peregrinam aliquam in-"ducamus substantiam, quam tamen velimus capacem "esse proprietatum primæ substantiæ, & confundamur "ab ipso numine ita loquente: Gloriam meam alteri "non dabo. Huic Authori non mediocritèr affinis est sanctus Hilarius (de Trinitate libro 5.) *Non potest* (in-

quit) *Deus niſi per Deum intelligi : ſicut nec honorem à nobis Deus, niſi per Deum accipit. Euſebius* (*Hilario* aliquantulum antiquior) demonſtrationis Evangelicæ libro primo, capite 5. "Fideles, *ait*, ſæculorum omnium, omnis memoriæ, ab eâ quæ ſimulachris addicta erat, ſuperſtitione avertentes ſeipſos, (ἀφηνιάσαντες δὲ ἀπὸ τοῦ ὁρωμένου πάσαν κτίσιν) mentis oculos ſupra omnem, quæcunque oculis cerni poſſit, naturam ſuſtuliſſe : neque aut Solem, aut Lunam, aut aliam quampiam univerſi partem, pro Deo unquam coluiſſe : ſed ad unum ſupremum, ipſum utique altiſſimum cœli & terræ opificem, ſeipſos attollere non dubitaſſe. Ad noſtras etiam partes venit Sanctus *Epiphanius*, adverſus *Collyridianos*, hæreſi 79. "Nam Diabolus (*ait*) ſub juſtitiæ ſpecie perpetuò hominum mentibus obrepens, ac mortalem naturam divinis honoribus conſecrans, humanas effigies artificiorum varietate perpolitas, hominum oculis objecit. Divus *Ambroſius* de ſpiritu Sancto, libro 3. c. 12. *Neque adorandum quicquam* (inquit) *præter Deum legimus, quia ſcriptum eſt : Dominum Deum tuum adorabis, & ipſi ſoli ſervies.* Pſalmi 99. verſu 5. terram quæ dicitur ſcabellum pedum Dei, carnem eſſe Chriſti argutè conjicit. Cùm terram propriè ſumptam, iſtam ſcilicet quam terimus, eò quòd creatura Dei ſit, adorandam neget ; terram illam, quam Dominus noſter in carnis aſſumptione ſuſcepit, coli poſſe, non niſi per idiomatum communicationem habet aſſerere. Concludit etiam procul hæſitatione *Mariam* virginem adorandam non eſſe, quia tantùm fuit templum Dei, non Deus templi. At verò ſcabellum pedum Domini in primis denotare ſanctuarium, fidem nobis ſufficiunt interpretes optimi Hebraicarum phraſium, Doctores Hebræi, Paraphraſtes Chaldæus, apud quem eſt בית מקדשיה & *Kimchius*, à quo itidem redditur בת המקדש domus ſanctuarii ; & *Aben Ezra* cui idem eſt quod מקום הארון locus arcæ ; & *Jarchius* in *Eſaiæ* c. 66. comma primum. Nullam relinquit hac in explicatione Scabelli pedum Dei Eccleſiæ papanæ ſuperſtitionis anſam *Aben Ezra*, niſi vis Hebraæ præpoſitio

ni

nis eum latuerit. Huic להדום idem esse quod לנגל הדום necessum est, cum להדום רגיו per לנגד מקום הארון interpretetur. *Nazianzenus* homines sui tempoporis religiosos describit in oratione, quam *Basilii* Magni laudibus dedit, οὐκ ἀντὶ θεοῦ τὰ τοῦ θεοῦ σέβοντας, οὐ τῷ κτίστῃ τὴν κτίσιν ἐπανιστάντας κατὰ τοὺς ἄφρονας, ἀλλ' ἐκ τῶν δημιουργημάτων τὸν δημιουργὸν καταλαμβάνοντας, καὶ ὃ φησιν ὁ θεῖος ἀπόστολος, αἰχμαλωτίζοντας πᾶν νόημα εἰς χρίστον. Quod commercii creaturis intercedit cum divino cultu nihil aliud est quàm quod hîc exprimitur: *Creator scilicet ex rebus conditis agnoscendus est.* Ex hac ipsâ sententia loquitur *Theodoretus* in oratione quartâ. Illius hæc ibi sunt verba: Τὸν οὐρανὸν ὁρῶντες, φωστήρων τὴν χρειώδη χορείαν, οὐ ταῦτα προσκυνοῦμεν· ἀλλὰ τὸν τούτων ποιητὴν ταῖς δυναταῖς ὑμνῳδίαις γεραίρομεν, καὶ ἐκ μεγέθους καὶ καλλονῆς κτισμάτων ἀναλόγως τὸν γενεσιουργὸν θεωροῦμεν. Λογιζόμεθα γὰρ ὀρθῶς καὶ δικαίως, εἰ τηλικοῦτον τῶν ποιημάτων τὸ μέγεθος, πηλίκος ὁ ποιητής; καὶ εἰ τοιαύτη τῶν γενητῶν ἡ ὥρα, οἷον τοῦ ἀριστοτέχνου καὶ ποιητοῦ τῶν ὅλων τὸ κάλλος; οὕτως οἱ οὐρανοὶ διηγοῦνται δόξαν θεοῦ, ποίησιν δὲ χειρῶν αὐτοῦ ἀναγγέλλει τὸ στερέωμα. Idem Papistis creaturas adorantibus, quod solem nimis acriter intuentibus evenit; cujus splendorem qui intentiùs quàm par est delibant, omni statim lumine deficiuntur. ἴσμεν γὰρ (ut *Theodoretus* in oratione decimâ) καὶ τοὺς τὸν ἥλιον πλέον ἢ δεῖ κατιδεῖν φιλονεικοῦντας, οὔτε ὧν ποθοῦσιν ἀπολαύοντας, καὶ τὴν ὄψιν λυμαινομένους, καὶ οὐ μόνον φῶς ἐκεῖθεν οὐχ ἕλκοντας, ἀλλὰ καὶ σκότος ἐπισπωμένους. E prurigine velut puerili papistæ sic bracteato libri operculo, sic imaginibus naturalibus, & arte factis affixi sunt, ut quod continetur intus, non pervideant. Sed prætereà quicquid divini cultus impertiunt creaturis, id totum adimunt Deo. Quàm minimè probati fuerint *Nazianzeno*, reliquisque tum temporis orthodoxis theologis, qui scabellum pedum Domini, adversus ipsum Dominum concitatum irent, è *Nazianzeni* testimonio nuper in suppetias advocato discimus. *Basilius* in oratione Sancti *Nazianzeni* laudatâ, quòd ipse creatura esset, quanquam vitæ

suæ

suæ discrimine, si renueret, solicitatus, κτίσμα τὴ προσκυνεῖν non sustinebat. Pro nobis facit & illud *Hieronymi*, in *Hoseæ* caput secundum, versum sextum: *Non vocabit me* בעלי, *ne, dum aliud loquitur, alterius recordetur: & virum nominans, idolum cogitet.* Idem Vigilantio, (quem mihi quoque suffragantem non pudebit agnoscere) superstitiosum quendam de reliquiarum cultu objurganti, (in Epist. 53. ad *Riparium*) non coli debere consentit. *Fideles negat colere & adorare omne nomen, quod nominatur in præsenti sæculo, & futuro, ne serviant creaturæ potius quam creatori.* Ad hos se adjungit sanctus *Augustinus*, quæst. 29. super *Josuam.* Quisquis (inquit) *cogitat Deum qualis non est Deus, alienum utique Deum & falsum in cogitatione portat.* Ut omittam falsitatem illam quâ dehonestant Deum Pseudo-Catholici, & qualis non est sibi formant, in vanis animi conceptibus, & figmentis archetypam esse; [juxta sanctum *Augustinum* mihi liceat eloqui,] quisquis in aliqua crassiori materiâ Deum qualis non est, fingit, (hoc est, quisquis ligno, æri, argento, vel auro deitatem imprimit, imò quisquis Deum sensibus nostris exponit) alienum utique Deum, & falsum arte suâ apportat. Idem de consensu Evangeliorum libri primi capite 18. sic scribit: *Si alio modo Deum colere vellent, quam se colendum ipse dixisset, non utique illum colerent, sed quod ipsi finxissent.* Et in Epilogo libri de verà religione, *Sanctos mortuos* (ait) *honorandos esse propter imitationem, non adorandos propter religionem; angelos honorandos esse charitate, non servitute; ne aut Sanctos mortuos aut Angelos colamus, sed Deum solum, admonet.* Quod Sancta *Maria*, cui superstitionis suæ primas obtrudunt Pontificii, veneranda non sit, decernit *Epiphanius* hæresi modo citatâ, his verbis: *Sanctum erat* Mariæ *corpus, fateor: non tamen deus illa fuit. Eadem & virgo extitit; minimè tamen nobis ad adorandum proposita, sed eum adorans ipsum, qui è suâ carne genitus, è cælo ac paterno sinu descenderat.* Admirari hic liceat Papæ summam potestatem, penes quem est jus & fas omne miscere; qui turpissimè vixerunt, eos mortuos, (Ethnicos intelligo,

Apud Hieronymum adversus Vigilant. c. 2.

telligo, nec non qui facie quanquam religionis induti, tamen orthodoxis olim hæretici censebantur, Simonianos, Carpocratem, Gnosticos, & Collyridianos) purgatione nescio quâ in Deos transformare; istos apotheosi impertire, quibus apocolocynthosis aptior esset. Fusilli, atque angusti animi fuit *Ovidius*, qui suas *Herculis*, & *Julii Cæsaris* ἀποθέωσεις, in fabulas reposuit. *Julianus* Apostata versutissimus, quamvis, ut tunc temporis Diabolo maximè fuit opportunum, Christianos, tanquam Martyres adorarent, suspectos reddere vellet; non audebat tamen quasi nè calliditatis imprudens & insciens, non infimum barathrum demereretur, id criminis palàm intentare, sed hâc occultâ satis utebatur insimulatione: *Si igitur immundiciâ Jesus esse dicit plena sepulchra, quomodo vos apud illa invocatis Deum?* Cyrillus cui subolebant hujus technæ, respondet, *Divina Scriptura nobis unum potissimum & vere Deum prædicavit, alium autem præter illum omnino nullum adorare consuevimus.* Si non sufficerent, quæ jam producta sunt in lucem suffragia, amplius tædio vobis essem, adjiciendo quæ pro causa quam tuemur, scripta reliquerunt *Cyprianus* de exhortatione martyrii, capite secundo; *Eusebius* Præparationis Evangelicæ *l.* 2. *c.* 6. *Athanasius* oratione tertia contra *Arianos*; **Hilarius* Canone tertio in *Matthæum*; nominare non vacat omnes quos mihi astipulari scio. Synodus Ancyrana, concilium primum Nicenum, ☞ Synodus Gangrensis canone vicesimo, † Laodicena canone 35. concilium Carthaginense, (cui præfuit *Aurelius* Ecclesiæ Carthaginensis Episcopus) canonibus § 50. 64. 66. 67. 89. 90. Concilium sextum in Trullo, Can. 82. concilium Elibertinum Can. 36. (& fatente **Bellarmino*) concilia Senonense & Moguntinum, non minùs nostra sunt, quàm Sancti Patres anteà citati. Dolet quod in Scripturis authenticis, quibus apprimè semper approbare me desidero, cogar esse brevissimus. Quæ tamen ex his summâ cum brevitate argumenta depromam, semel audita, neminem cui sanum est sinciput, de veritate theseos nostræ sinent diutiùs ambigere.

Apud Cyrillum contra Julianum libro 10.

* *Præbuit etiam hujus responsionis effectu magnum nobis Dominus exemplum: ut contempta humanæ potestatis gloria, & sæculi ambitione postposita, solum meminissemus Deum & Dominum adorandum quod omnis sæculi honor Diaboli sit negotium.*

* *De reliq. Sanctorum, c.* 4

Utraque Testamenta severè nobis interdicunt cultum

omnem ſimulachrorum. *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem*, Exodi 20. *Cuſtodite igitur ſollicite animas veſtras. Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die quà locutus eſt vobis Dominus in Oreb de medio ignis: ne forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem aut imagines maſculi vel fœminæ.* Deuteronomii 4. Commatîs 15. & 16. at verò quod Deus verbo & facto in lege promulgandâ fidelibus oſtendit, hoc pro officii regulâ voluit haberi.

Quam imaginem ponetis Deo. Iſaiæ capitibus 40. & 46. & Actorum 17. *Dominum Deum tuum adorabis: & ei ſoli ſervies.* Deuteronomii 6. & Matthæi 4.

2. Cultus religioſus angelorum nobis inhibetur ad Coloſ. 2. 18.

3. Damnatur omnis ἐθελοθρησκία ad Coloſ. 2. v. 23. ſed talis eſt cultus imaginum. Nullo ſtabilitur Scripturæ mandato; nullo commendatur exemplo, nullâ promiſſione, ſed à diabolo tenebrarum mancipiis imponitur.

4. (Et ultimò) qui per Teſtamentum vetus idololatriæ poſtulantur, ſive Judæi, ſive Gentiles, quemcunque cultum præſtabant imaginibus, illum omnem ad verum Deum referebant. Spiritus Sanctus, non ſecùs atque imo de pectore querelam gemitu mixtam ducens, homines temporibus *Enos* creaturis nomen ſuum impertiri cœpiſſe commemorat Geneſeos 4. commate 26. אז הוחל לקרא בשם יהוה cum tranſlationes Arabicæ duæ, Chaldaicæ totidem, & interpretes Græci ſeptuaginta duo, tunc temporis à recto Dei cultu deſcitum fuiſſe ſignificant; tum etiam *Jarchius* (in locum,) & *Maimonides* (capite 1. de cultu ſtellarum ac planetarum, & ſtatutis gentium,) peccatum fuiſſe Deum in creaturis ſuis adorando, & nomen ejus indendo rebus intermediis, aſſeverare non hæſitant. Feſtum vituli *Aaronici* apotheoſi datum indicebatur Jehovæ. Exod. 32. 5. Eodem pertinent * alii Scripturæ ſacræ textus. Quod ſi jam vacaret in ſtructuram noſtram Ethnicorum gazas admittere, refutarentur hæretici, qualibus digni ſunt, teſtimoniis. Gentiles, quotquot ex luto vulgari emerſerint, uno velut ore perpetuo ſunt profeſſi ſe religionem ſuam omnem, cultuum multiplicem

* Jud. 17. 3. 13
1 Reg. 12. 18.
2 Reg. 10. 23.
2 Reg. 17. 22.
25. 27. 28. 32.
33.

cem varietatem, in Dei unius honorem inſtituiſſe. Nolo ulterius angariare patientiam veſtram. Si quæ comparata ſunt in portu, diſſipentur in pelago, (ut * Climaci utar proverbio) id non cauſæ noſtræ, neque his quæ diximus ad eam muniendam quicquam derogabit, ſed anticipationi inopinatæ & inſperatæ hujus noſtri exercitii totum imputandum eſt.

* *Ad Paſtorem, cap. 9.*

omnem ſimulachrorum. *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem,* Exodi 20. *Cuſtodite igitur ſollicite animas veſtras. Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die quà locutus eſt vobis Dominus in Oreb de medio ignis: ne forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem aut imagines maſculi vel fœminæ.* Deuteronomii 4. Commatîs 15. & 16. at verò quod Deus verbo & facto in lege promulgandâ fidelibus oſtendit, hoc pro officii regulâ voluit haberi.

Quam imaginem ponetis Deo. Iſaiæ capitibus 40. & 46. & Actorum 17. *Dominum Deum tuum adorabis: & ei ſoli ſervies.* Deuteronomii 6. & Matthæi 4.

2. Cultus religioſus angelorum nobis inhibetur ad Coloſ. 2. 18.

3. Damnatur omnis ἐθελοθρησκία ad Coloſ. 2. v. 23. ſed talis eſt cultus imaginum. Nullo ſtabilitur Scripturæ mandato; nullo commendatur exemplo, nullâ promiſſione, ſed à diabolo tenebrarum mancipiis imponitur.

4. (Et ultimò) qui per Teſtamentum vetus idololatriæ poſtulantur, ſive Judæi, ſive Gentiles, quemcunque cultum præſtabant imaginibus, illum omnem ad verum Deum referebant. Spiritus Sanctus, non ſecùs atque imo de pectore querelam gemitu mixtam ducens, homines temporibus *Enos* creaturis nomen ſuum impertiri cœpiſſe commemorat Geneſeos 4. commate 26. אָז הוחל לקרא בשם יהוה cum tranſlationes Arabicæ duæ, Chaldaicæ totidem, & interpretes Græci ſeptuaginta duo, tunc temporis à recto Dei cultu deſcitum fuiſſe ſignificant; tum etiam *Jarchius* (in locum,) & *Maimonides* (capite 1. de cultu ſtellarum ac planetarum, & ſtatutis gentium,) peccatum fuiſſe Deum in creaturis ſuis adorando, & nomen ejus indendo rebus intermediis, aſſeverare non hæſitant. Feſtum vituli *Aaronici* apotheoſi datum indicebatur Jehovæ. Exod. 32. 5. Eodem pertinent * alii Scripturæ ſacræ textus. Quod ſi jam vacaret in ſtructuram noſtram Ethnicorum gazas admittere, refutarentur hæretici, qualibus digni ſunt, teſtimoniis. Gentiles, quotquot ex luto vulgari emerſerint, uno velut ore perpetuo ſunt profeſſi ſe religionem ſuam omnem, cultuum multiplicem

* Jud. 17. 3. 13
1 Reg. 12. 28.
2 Reg. 10. 23.
2 Reg. 17. 22.
25. 27. 28. 32.
33.

cem varietatem, in Dei unius honorem inſtituiſſe. Nolo ulterius angariare patientiam veſtram. Si quæ comparata ſunt in portu, diſſipentur in pelago, (ut * Climaci utar proverbio) id non cauſæ noſtræ, neque his quæ diximus ad eam muniendam quicquam derogabit, ſed anticipationi inopinatæ & inſperatæ hujus noſtri exercitii totum imputandum eſt.

* *Ad Paſtorem, cap. 9.*

Hæc quæ ſequuntur, in canones aliquot antea laudatos annotare libuit.

☞ C Concilium Gangrenſe Canone 20. quo de martyribus ex induſtriâ præcipit, abſque omni cultus anſa duntaxat ut Sanctorum memoriæ cohoneſtentur accurat. Εἴ τις αἰπᾶται, ὑφηφάνω διαθέτει κεχρημένος καὶ βδελυσσόμενος τὰς συνάξεις τῶν μαρτύρων, ἢ τὰς ἐν αὐτοῖς γινομένας λειτουργίας, καὶ τὰς μνήμας αὐτῶν, ἀνάθεμα ἔστω.

† Decernit Laodicena Synodus in illo Canone, ὅτι οὐ δεῖ ἀγγέλους ὀνομάζειν. *Epiphanius* in hæreſibus Angelicorum nomen memorat, & præterea nihil extra conjecturas. Ἀγγελικῶν αἵρεσιν ἀκηκόαμεν, καὶ τὸ ὄνομα μόνον ἐπιγνόημεν, οὐ πάνυ δὲ σαφῶς ἴσμεν τὶς ἢ τοιαύτη αἵρεσις, διὰ τὸ τάχα ποτὲ καιρῷ αὐτῶν ἐνεστῶσαν ὕστερον λῆξαι καὶ καταλυθῆναι εἰς τέλος. Τὸ δὲ ὄνομα διὰ ποίαν αἰτίαν ἔχει, οὐκ ἴσμεν. ἤτοι γὰρ παρὰ τὸ πλῆθος τῶν Ἀγγέλων τὸν κόσμον γεγωνῆσθαι φάσκων. καὶ εἰ αὐτὸ τοῦτο φάσκουσα τῷ ὀνόματι τούτῳ κέκληται, οὐκ ἔχω λέγειν. ἤτοι διὰ τὸ ἐν τάξει Ἀγγέλων ἑαυτοὺς σεμνοῦσιν, καὶ βίῳ ἐξοχωτάτῳ ἄγεσθαι, οὐδὲ τοῦτο διαβεβαιοῦμαι. ἢ καὶ ἀπὸ τόπου πνὸς εἰληφότες τοιοῦτοι, ἐπεὶ δ' χῶρός τίς ὅστιν Ἰγκλίνη ἐπέκεινα τῆς Μεσοποταμίας χώρας κείμενος. Sed tanti viri pace, non videtur ex his aliqua firma conjectura, vel ſaltem non indicat hæreſeos ingenium. Quod è prioribus neutra valeat, alii confirmant eadem profitentes ſub diverſis nominibus hæretici: neque locus incolarum prodit ſententias. Solum, non animum mutat qui trans mare currit. Quod ſic appellarentur ab Angelis invocatis, eſt longè probabilius. Sic exiſtimat Doctiſſimus *Grotius* in explicatione Decalogi. Hæc ejus ſunt verba: *Angelici Epiphanio inter hæreticos memorantur, ſed eorum quale fuerit inſtitutum ait ſe neſcire. Maxime credibile eſt tale fuiſſe quale eſt Cabaliſtarum inter Judæos, probatum*

batum quibusdam, improbatum Josepho Albo *lib.* 3. *fundamentorum, capite* 18. *Censent illi, cum* Pythagoricis *&* Platonicis, *quorum sententiam nobis Iamblichus exprimit, per Angelos inferiores superioribus, atque ita per multos gradus summis illis homines commendari debere, & illis dant sua nomina, dant officia, & dispensandorum beneficiorum facultatem. Alios statuunt paredros: alios oniropompos, ut* Irenæus *docet. De his qui talia ex Judaismo in Christianismum inferrent agere videtur Apostolus* 2 *Coloss.* 18. *mitius enim de eis loquitur quam ut eos intelligat qui Angelos, aut honoris proprie divini signis, aut effectuum mere divinorum expetitione, Deo æquabant.* Addit super Apostoli verbis, (ἐν ταπεινοφροσύνῃ,) *videtur enim quædam animi submissio non audere nisi per tot gradus Deum accedere: at tale revera id non est, cum ut recte ait* Origenes, *in Dei honore satis comprehendatur honos ipsi ministrantium, neque ex usu sit ita* περισπᾶσθαι, *& ab eo quod maxime necessarium est avocari.* Αγγέλους ὀνομάζειν, (ut è *Zonara* prehendimus) interpretatur εἰς βοήθειαν ἢ εἰς προσαγωγὴν τῶν πρὸς θεὸν, τοὺς Αγγέλους ἐπικαλεῖσθαι. *Angelos nominare, non aliud est quàm Patronos, aut interpretes apud Deum adhibere.* Huic instituto nomen hæreseos inurit, & à magno *Paulo* in Epistola ad Colossenses perstringi monet. Et paulo post, παλαιὰ οὖν ὡς εἴρηται ἡ αἵρεσις ἦν, καὶ ὠνόμαζόν τινες, Αγγέλους, ἤγουν ἐπεκαλοῦντο, καὶ συνάξεις ἐποίουν, ἅπερ ὁ κανὼν ἀναιρῶν εἴ τις εὑρεθῇ φησὶ τῇ κεκρυμμένῃ εἰδωλολατρείᾳ σχολάζων, ἔστω ἀνάθεμα, ἦν ὁ ἀπόστολος ἔφη θρησκείαν τῶν ἀγγέλων ὁ κανὼν εἰδωλολατρείαν ἐκάλεσεν, οὐχ ὡς τῆς πρὸς Αγγέλους τιμῆς, εἰδωλολατρείας οὔσης, ἀλλ' ὡς τοῦ πονηροῦ ἀπάγοντος ἡμᾶς τοῦ ἐπικαλεῖσθαι τὸν χριστὸν, ἵνα κατὰ μικρὸν καὶ λεληθότως, εἰς εἰδωλολατρείαν ἐκκυλίσῃ ἡμᾶς. Ut nullus dubito recedere potuisse hæresin, & impetu acriori posteà recurrere; sic aliquatenùs à *Zonara*, juxtà atque *Grotio* cogor dissentire. Qui cultus omnipotentia, vel omniscientia, nititur objecti sui, refragante nemine, reor, audiet ubique latria, porro si creaturæ tribuatur, quibus sanum est sinciput, adsentientibus, idololatria. Angeli, sanctique comprehensores, si mortalium

preces exaudire debeant, niſi fuerint omniſcientes, tam longas habeant aures, oportet, ut à cœlo ad terram uſque porrigantur. Neque poteſt aliquis omnino creatura, tanquam dignus eſſet cujus rogatu moveatur ad miſericordiam Deus, à nobis interpellari; quin idem particeps latriæ conſtituetur. Angeli non poſſent ad intercedendi partes arceſſi, niſi inſcientiam, & potentiam Dei proprias, aut ex his alteram extollerentur. Sed neque *Grotius* rectè *Judæorum*, *Pythagoricorum*, *Platonicorumque* inſtituto Chriſtianos angelicos (*i. e.* hæreticos diabolicos) metitur. Iſti mediatores ſuos rogabant terreſtria duntaxat bona, ſed hi precabantur animabus ſalutem: iſti creationis, redemptionis hi proventus ambiebant. Illinc Deo creatori; hinc ſalvatori cultus derogabatur. Iſta legalis, hæc evangelica dici poteſt idololatria. Prior à Deo legis moralis latione circumſcripto, quandoquidem prout ſic conſyderatus numeris ſuis impletam exigebat obedientiam, nec ullum deficientibus indulgebat remedium; non potuit directe prohiberi. Ethnici, quorum mentibus inſcribebatur decalogus, abſque enthuſiaſmo ne ſomniare quidem poterant, θεὸν σὺν μηχανῇς, ſalvatorem. Ut ambages evitem, *Pythagorici*, *Platonici*, quique ſequebantur horum dogmata *Judæi*, quâ vitæ futuræ ſtudioſi, legem moralem implere, ſacrificiis, aliiſque ceremoniis expiare delicta ſua toti contendebant. Non inficior tamen analogia ſecundi præcepti ſimulachra cuncta ſalvatoris noſtri θεανθρώπου honore arceri: non licitum nobis eſt in imagine qualicunque illum venerari, multo minus in provinciam ejus alios ingerere. Non importuna videbitur ſententia noſtra, ſi quàm latè pateant mandata primum & quartum, cognoſcatur. Illo fides, hoc Evangelici ſabbati requiritur obſervatio. Quod ſi Jehovah nos officiis augeri, vel mutari velit, ni morem geramus, rejecto mandato primo non agnoſcimus Dominum: ſi temporibus ſtatutis Deo creatori, nec gratis, ſervianus, non poterimus ſceleris immunes eundem etiam ſalvatorem factum negligere.

Ex quo ceſſavimus ſuffire Reginæ cœlorum, cariimus omnibus.

Verba

Verba canonis illius ſunt hæc : περὶ τῶν παθῶν τῶν μαρτύρων. Ἐξέστω ἔτι μὲν ἀναγινώσκεσθαι τὰ πάθη τῶν μαρτύρων, ἡνίκα αἱ ἐτήσιαι αὐτῶν ἡμέραι ἐπιτελοῦνται. Videatur *Zonaras* in hunc Canonem. Eodem lemmate nitimur in hunc & in Canonem 20. concilii Gangrenſis. 6

Τῷ ὑψίστῳ πᾶσα δόξα.

FINIS.